



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 48. Articuli Pacis Eugenium inter & Alphonsum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

Sæcul. XV. ad Carthusiam Florentinam, cuius Prior  
A. C. 1443. erat Thomas Subdiaconus, postea sub  
nomine Nicolai V. ad summam sedem  
ejectus. Poggius Florentinus defuncto  
Cardinali oratione funebri parentavit.

## §. XLVII.

*Eugenii Papæ Epistola ad Alphonsum.*

*Aug. Patric.* Eugenius Papa Senis ad Alphonsum li-  
*Conc. Basil.* teras dedit, per Patriarcham Aquile-  
*& Flor. art.* jensem delatas, ac Regi Terracinæ porre-  
*140 p. 1610.* cas. Cum vero Alphonsus tam Eugeni-  
*ex tom. 13.* um, quam Felicem variis lenociniis sospire  
*Cons.* moliretur, illi, a quo ampliores condi-  
tiones exigere posset, tandem adhæfurus,  
concordiam quoque die duodecima Junii,  
ut referunt Acta Patricii, cum Eugenio  
init, his præcipue legibus ultro citroque  
conclusis.

## §. XLVIII.

*Articuli Pacis Eugenium inter  
et Alphonsum.*

Pax firma atque stabilis inter Eugenium  
Papam & Alphonsum, necnon mu-  
tua, eaque solida omnium præteriorum  
oblivio induetur; Alphonsus Eugenium  
tanquam verum, ac summum Pontificem  
profitebitur, nec ejusdem auctoritatem  
quoquo modo clam, aut publice lœdi-  
per-

permittet, eademque lege honori Cardi-Sæcul. XV.  
 narium, suorum subditorum, atque omni-A. C. 1443.  
 um Eugenio adhærentium cautum erit.  
 Rex omnia in suis Regnis contra Eccle-  
 siæ libertatem ac Papæ auctoritatem at-  
 tentata prorsus irrita declarabit, necnon  
 cibaria, annonam, et mercimonia Ro-  
 manam advehi concedet. Eugenius autem  
 tam per se quam per Legatos suos Al-  
 phonsum, ipsique addictos ab omnibus  
 Censuris quoctunque pacto incurvis libe-  
 rabit; Regnum Siciliæ Alfonso jure  
 beneficiario cedet, iisdem omnino juri-  
 bus et formis, quibus per Romanos Pon-  
 tifices alias concedi consueverat, & cum  
 clausula hac: *Non obstante, quod Alphon-  
 sus illud vi & armis occupasset, ac tali mo-  
 do eundem Regem salutabit; præterea  
 eidem Alfonso Beneventum, & Terra-  
 cinam tradet, adjecto titulo Vicarii per-  
 petui utriusque urbis; hic vero in signum  
 beneficiarii tributi duos Accipitres dabit,  
 absolvetque eum Pontifex ab omni pecu-  
 niarum præstatione, quam Cameræ Apo-  
 stolicæ debet ex quoctunque nomine;  
 His adimpletis, Alfonsus Sacramento  
 sese Eugenio obstringet, homagium ei-  
 dem præstabat; insuper Romanæ Eccle-  
 siæ oppidare restituet, quæ occupavit; con-  
 tra Turcas sex triremes suis impensis ad  
 semestre alendas mittet, & quatuor equi-  
 tum millia, necnon mille pedites adver-*

Sæcul. XV. sus Franciscum Sfortiam suppeditabit, ut  
A. C. 1443 Marchia Anconitana, ceteraque Eccle-  
 siæ loca recuperari possent, hisque co-  
 piis Ducem præficiendi facultatem Eu-  
 genii beneplacito relinquet; præstituto  
 trimestri, infra quem terminum Papa  
 præfatis conditionibus satisfaciet, aut in  
 eventum violatæ fidei centena millia du-  
 catorum pendet.

*Sarita c. 32.* Præter hosce articulos a Patritio re-  
 latos, Historicorum nonnulli quosdam  
 alios recensent, nimirum Alphonsum pro-  
 mississe, se censum annum de more Ec-  
 cleſiæ Romanæ soluturum, nobilitatem ac  
 populum intra Regnum in ayitis eorum  
 privilegiis, quibus olim sub Guilielmo II.  
 Rege gaudebant, conservaturum. Alii  
 insuper Auctores addunt articulos, qui  
 libertatem Ecclesiarum & Ecclesiastico-  
 rum, necnon appellations ad Sedem  
 Apostolicam, aliaque ejusdem jura, non  
 minus temporalia, quam Ecclesiastica  
 concernebant: hæc omnia continentur  
 in investituræ literis, quas Eugenius Se-  
 nis die decima quinta Julii Regi dedit,  
 necnon in instrumento homagii, quod  
 Alphonsus die secunda Julii Anno Do-  
 mini supra millesimum quadringentesimo  
 quadragesimo quinto Pontifici exsolvit.  
 Cum vero in literis investituræ disertis  
 verbis exprimatur, Neapolis Regnum, si  
 Alphonsus nullam post se relinquat pro-  
 lem

lem legitimis natalibus ortam, ad Eccle-<sup>Sæcul. XV.</sup>  
siam redditum, inde manifeste patet, <sup>A. C. 1443.</sup>  
nonnisi posteriori tempore hisce concor-  
diæ pactis adjectam fuisse conditionem,  
ut Ferdinandus ex illico Alphonsi con-  
cubitu natus, sublato per Papam natali-  
um vitio, unacum posteris suis Patri in  
Regno succederet. Hæc seorsim facta  
fuisse, Scriptorum nonnulli testantur,  
adeo, ut Pontifex rei coacte magis quam  
sponte concessæ verecundia suffusus,  
quamdiu ipse viveret, nec investituræ  
Bullam, nec Diploma, quo Ferdinandum  
legitimorum natalium jure donavit,  
publicare voluerit.

§. XLIX.

*Omnes pacis conditiones ab Eugenio  
acceptatae.*

Eugenius perceptis hisce conditionibus,  
omnes approbavit, ratasque habuit,  
ac die vigesima Mensis Junii hæc pacta  
utrinque firmata fuere. Alphonsus, cum  
de Pontificis consensu certior factus esset,  
sesto post die ad omnes Regnum suorum  
Provincias hac super re literas per-  
scripsit.